

dam Præbendam Theologalem generaliter loquendo satis non esse, ut quis in jure Canonico Doctoris gradum adeptus fuerit, in casibus tamen particularibus videri posse, an expediat eandem Præbendam alicui Sacrarum Canonum Magistro conferre, qui scilicet cum Juris Canonici lectione, ea quoque conjungere valeat, quæ pertinent ad Theologiam moralem. » Consule eundem *SS. Institut. Eccles.* 67, num. 4, et plur. sequent.

(125. Quod attinet ad munus Canonici theologi, recte idem Summus Pontifex in *Synod.* dic. lib. XIII, dic. cap. 9, dict., n. 17, inquit: « Decretum illud Tridentini Concilii, sive ejus verba considerentur, sive ratio habeatur praxis et consuetudinis sequentium temporum, æque comprehendere Scripturarum Sacrarum expositionem, ac theologiæ scholasticæ disciplinam, et a Canonico theologo non magis suo muneri satisfieri, si Sacra Scripturæ libros explicet, et declaret, quam si in theologia scholastica clerum erudiat, dummodo hæc talis sit, qualem Melchior Canus tradendam, addiscendamque suadet, in suo lib. VIII, de *Locis Theologicis*, cap. 1, et quidem nos etiam indicavimus in nostra Institutione 42, quæ scilicet circa quæstiones gravis momenti, et utilitatis versetur, easque pertractet allatis Divinæ Scripturæ testimoniis, conciliorum decretis, et Patrum auctoritatibus, ulterius adnotavimus, nonnullorum Episcoporum mandato laudabiliter factum esse, ut per Canonicum theologum ea traderetur theologia, quæ est de conscientia, et moribus dirigendis, id unum vero minime decisum fuisse, num juxta Concilii mentem Canonici theologus suum munus satis adimpleat, si explicando juri canonico operam præstet. »

(126. Quæ de Canonico theologo dicta sunt usque ad n. 11, ea locum itidem sibi vindicant, quoad Canonicum penitentiarium.

(127. Alia de Canonico penitentiarium, vide apud Benedictum XIV. *Inst. Ecclesiast.* 107, § 9. (128. De Canonico jubilato consule Scarfant. in animadvers. ad Ceccoper, lib. 1, tit. VI a n. 8, ad n. 10, ubi illud valde notabile num. 20, quod si Canonici post obtentum indultum jubilationis ex causa servitii præstiti Ecclesiæ per quadraginta annos provideatur de novo canonicatu, seu dignitate in eadem Ecclesia, licet reputetur novus Canonici, noviterque receptus, ita ut in choro, et in aliis actibus ei debeatur locus canonicatus noviter obtenti, (129. nihilo tamen minus haud indiget novo jubilationis indulto, sed vigore jam obtenti lucratur fructus, et distributiones secundi canonicatus, quia adhuc durat causa, pro qua fuit concessum.

ADDITIONES CASINENSES.

(130. Constat apud omnes scholas Theologicas in Ecclesia olim fuisse; in primis celebratissima fuit schola Alexandrina, in qua Pautenus, usus iis magistris qui Apostolos viderant, auditorem habuit Clementem Alexandrinum vulgo dictum, cujus Origenes discipulus fuerat, et postea in *schola Catechetica*, ut dicit Photius, successor. Vide

Phot. *Biblioth. c. de Pamphilo martyre.* Nicetas autem refert lib. V, *Thes.* c. 1. Arium Alexandrini Gymnasii præfectum fuisse. Doctissima quoque exstitit schola Antiochena, in qua, ut scribit S. Hieron. lib. de *Eccles. Script.* Lucianus presbyter doctissimus interpretatus est Sacram Scripturam. Hinc Arius epistola ad Eusebium Nicomediensem ipsum *σπουδασιωτικῶν* nominat. Nicephor. *Hist. Ecclesiast.*, l. VIII, c. 9. Syri Christiani quoque scholam apud Nisibin habuerunt, quam commemorat Jul. African. *Præf. et Epistola ad Primasium.* In Occidente vero scholæ in Episcopis erant duplicis generis, aliæ pueris assignatæ, aliæ presbyteris et clericis. Schola presbyterorum theologica appellari potest, nam sic illam explicat Concil. Cabilonense, c. 3. « Oportet etiam ut, sicut Dominus Imperator Carolus præcepit, scholas constituent, in quibus, et litteraria solertia disciplinæ et Sanctæ Scripturæ discantur, et tales erudiantur, quibus merito dicatur a Domino, Matth. 5: *Vos estis sal terræ*, et qui condimentum plebibus esse valeant, et quorum doctrina non solum diversis hæresibus, verum etiam *Antichristi* monitis, et ipso *Antichristo* resistatur, ut merito de illis in laude Ecclesiæ dicatur Cant. 4: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* » Eadem habet Conc. Valent. sub Lothario Imperatore, c. 18. Sed clarissimam imaginem hodierni Canonici theologi exhibet canon 33. Concilii Meldensis sub Carolo Calvo: « Quisque Episcopus, hæc sunt canonis verba, pro viribus, talem juxta se habere decertet, qui juxta sincerissimum et purissimum sensum catholicorum Patrum de fide et observatione mandatorum Dei, seu et prædicationis doctrina presbyteros plebium assidue instruat et informet. » Unde legimus, *Capit.*, lib. VII, c. 163. statutum esse, « ut omnes presbyteri parochiæ, scilicet *Dioceseos*, ad civitatem per turmas, et per hebdomadas ab Episcopo sibi constitutas conveniant descendendi gratia, ut aliqua pars in parochiis presbyterorum remaneat, ne populi et Ecclesiæ Dei absque officio sint, et aliqua pars utilia in civitate discant; ibi ab Episcopo in civitate, sive a suis bene doctis ministris bono animo instituantur de sacris lectionibus, et divinis cultibus et Sanctis canonibus, sive de baptismatis Sacramento atque Missarum solemnibus, et precibus, et de reliquis omnibus officiis, etc. »

(131. Quamvis compertum sit omnibus, penitentias indicere, augere, minuere, condonare, proprium esse Episcoporum, uti confirmari potest ex Conc. Ancyran., c. 3. Arelaten. 2, can. 10. Milev. c. 23. Aurelianen. 4, can. 8, hi tamen privatas penitentias indicendi curam presbyteris concesserunt, solemnes sibi servarunt. Sed cum postea, et publice penitentium numerus crevisset, cumque Episcopi variis et publicis negotiis alias essent intenti, selectis quibusdam et bonæ notæ presbyteris publice penitentium reconciliationem commiserunt; qui ideo penitentiarum dicti sunt. Quamvis autem Sozomenus, lib. IX *Hist. Eccles.*, cap. 33, et Socrates lib. V *Hist. Eccles.*, c. 19, referant

in Orientali Ecclesia presbyteros, qui penitentis præerant a Nectario amotos fuisse, tamen paulo post restituti fuerunt, uti colligi potest ex Balsamone in c. 48, *Epist. 1, B. Basilii ad Amphilochem*, atque ex c. 103, *Conc. Trullan.*

ARTICULUS X.

Quoad ea quæ concernunt *coadjutorias, Canonicos coadjutores, et coadjutos.*

(1. Coadjutoria fuerunt inventæ principaliter ne Ecclesia ob impedimentum coadjuti suo defraudetur servitio. Rota R. part. III, recentior. dec. 392, num. 1, part. V, tom. II, dec. 602, num. 2, cum sequent., part. VI, dec. 36, num. 2. (2. Et ideo permittuntur tantum ex causa necessitatis, vel evidentis utilitatis Ecclesiæ. Rota part. I, dec. 276, num. 1, part. VI, dec. 20, n. 7 et 11, p. 16, dec. 112, num. 7, 25 et 28. (3. Ita ut Papa concedendo coadjutoriam censeatur principaliter motus propter dictam necessitatem, et utilitatem Ecclesiæ. Rota part. VII, dec. 313, num. 20 et 24, et dec. 253, num. 10, cum sequent. (4. Licet secundario videatur voluisse coadjutori providere de beneficio, præveniendi tempus vacationis, quæ per obitum coadjuti est successura. Rota part. VII, dec. 253, num. 19, cum sequent. et dec. 313, num. 21. (5. Dicta autem causa debet a Sanctissimo diligenter cognosci. Rota p. 16, dec. 112, n. 5. (6. Unde quamvis Concilium Tridentinum sess. 25, de *Reform.*, cap. 7, vers. in *Coadjutoriis*, statuerit, ut nemini in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis permittentur perpetuæ et irrevocabiles coadjutoria cum futura successione cum præcis his verbis: « In coadjutoriis quoque cum futura successione idem posthac observetur, ut nemini in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis permittantur, » tamen exinde, propter supradictam causam, multæ fuerunt a Summis Pontificibus concessæ, et adhuc in dies conceduntur coadjutoria cum futura successione in dignitatibus, canonicatibus, et portionibus cathedralium, et collegiatarum a solo scilicet Papa, et non ab alio, quamvis sit Legatus, seu Nuncius ut per Gonzal. ad Regul. 8 Cancell. gloss. 5, § 9, num. 91. Nicol. Garc. de *Benefic.*, part. IV, cap. 5, num. 19. Monet. de *Distributionibus quotidianis*, part. II, quæst. 1, n. 33. Paris., de *Resignat.*, lib. VI, quæst. 5, num. 15, et lib. VII, quæst. 20, num. 14. (7. Ut tamen excludatur votum captandæ mortis, super quo est fundata reprobatio expectativarum; cap. *Detestanda 2, de Concession. Præbend.* in 6, pro obtinenda coadjutoria exigitur consensus, et requisitio coadjuti. Rota part. VII, dec. 313, num. 27, et part. XVI, dec. 112, num. 33. (8. Qui consensus adnotari debet in libris publicis Cameræ, vel Cancellariæ. Rota part. 18, tom. I, dec. 108, num. 12. (9. Et pro ipsa coadjutoria obtinenda requiritur etiam consensus capituli, qui sufficit, quod datus sit a majori parte capituli. Rota part. VI, dec. 20, num. 9. (10. Et insuper ad obtinendam coadjutoriam requi-

runtur litteræ commendatiæ Episcopi, vel capituli super qualitatibus Coadjutoris, et indigentia Ecclesiæ, licet plerumque hujusmodi litteræ emendicatis favoribus extorqueantur. Rota part. XVI, dec. 112, num. 17. (11. Coadjutor, vivente coadjuto, non est vere Canonici, sed dicitur fictus Canonici, et beneficiatus. Rota part. XIX, tom. II, dec. 667, num. 12, et Sac. Rituum Congreg. in Conimbrien. 16 Septemb. 1606. (12. Et repræsentat tantummodo Canonici, et beneficiatus. Rota part. XIX, tom. II, dec. 667, num. 13. (13. Unde Coadjutor efficitur vere Canonici solummodo post mortem coadjuti. Sac. Congreg. Rituum in Trullen., 21 Martii 1609. (14. Coadjutor enim, vivente coadjuto, sedere debet in ultimo loco post omnes Canonicos, et quando facit aliquas functiones, quæ pertinent ad suum coadjutum, ut cantare lectiones, præintonare antiphonas, etc., debet illas facere in novissimo loco. Sac. Congr. Rit. in Conimbrien., 16 Septembr. 1606, in Patavina, 3 Decemb. 1616, in Brundus. 18 Mart. 1617, in Casalensi, 15 Julii 1617, in Vicentina, 18 Augusti 1618, in alia Casalen., 10 Decemb. 1619, et in Elven., 2 Maii 1620, et Sacra Congr. Conc. in Casalen., 13 April. 1690. (15. Et sic non debet Coadjutor gradatim ascendere, sed post omnes sedere, non obstante Statuto in contrarium disponente. Sacra Congr. Rituum in Casalen., 18 Decemb. 1618, et in Elven., 7 Augusti 1622. (16. Excipiuntur tamen Coadjutores dignitatum, qui idem prorsus stallum obtinere debent, quod obtinerent sui coadjuti, si præsentibus essent, et præcedunt Canonici, et dignitatibus inferioribus. S. C. Rit. in Neritonen., 22 Octob. 1619, et in Brundusina, 29 Maii 1621. (17. Coadjutor in absentia coadjuti præcedere debet Curatis, Plebanis, et Prioribus Ecclesiarum parochialium, sicut præcedunt veri Canonici. Eadem Sacra Congr. in Pistorien., 15 Martii 1618. Rota part. XIX, tom. I, dec. 99, num. 1. (18. Coadjutor, vivente Coadjuto, stante divisione Canonicatum in Ecclesia cathedrali in ordines subdiaconales, et presbyterales, et stante quod Coadjutor sit Coadjutor Canonici presbyteri, installandus est ultimo loco in ordine presbyterali. Sac. Congr. Rit. in Monopolitana Primitivæ, 17 Julii 1732, in Æsina, 4 Martii 1644, in Januensi Stalli, 14 Augusti 1665.

(19. Imo, ubi præbendæ sunt distinctæ, præcedentia super Canonicos ordinis diaconalis, et subdiaconalis debetur Coadjutori Canonici coadjuti ordinis Presbyteralis, quamvis Coadjutor nondum sit sacerdos, sed in minoribus tantum ordinibus constitutus. Sac. Congr. Rituum in Æsina, 31 Maii 1670. (20. Et præcedentia debetur ipsis Coadjutoribus Canonici altiorum Ordinum super Canonicos inferiorum ordinum, etiam præsentibus suis coadjutis, et per se ipsos inservientibus. Sac. Congreg. Rit. in Æsina, ubi cum quæsitum fuisset: « An præsentibus coadjuto Diacono, et per se ipsos inserviente, illius Coadjutor Diaconus debeat in choro, et functionibus ecclesiasticis stare

post omnes Canonicos ejusdem ordinis diaconalis tantum, vel potius post etiam Canonicos Subdiaconos in casu? » Sac. Congregatio Rit. respondit die 4 April. 1705: *Affirmative*, quoad primam partem, *Negative* quoad secundam. (21. In hoc est differentia inter Coadjutores dignitatum, et Coadjutores Canonicorum, quia illi sicuti sedent in stallo dignitatis, ita debent facere functiones spectantes ad dignitatem coadjutam; Coadjutores vero Canonicorum, sicuti sedent post omnes Canonicos, ita non admittantur ad honorarias functiones, si adsint alii Canonici, qui suppleant juxta dispositionem caeremonialis lib. 1. cap. 26. *de Supplend. vicib.* Sac. Rit. Congr. in Ferrariensi, 2 Junii 1640, apud Pignatell. tom. III, consult. 183, num. 3, ubi addit, quod ob hanc regulam Coadjutores numquam faciunt assistentiam Episcopo, si adsint veri Canonici, ex eadem Sacra Congr. in una Civitatis Castellii, 24 Maii 1636. (22. Coadjutores ex forma coadjutoriae, extra suam Ecclesiam, et sine capitulo, nullam habent praerogativam, ac si non essent Coadjutores; unde in concursu cum aliis sacerdotibus, non praecedunt nisi ratione antiquitatis in ordine, ut sint declarationes Sacrae Congregat. Rit. in Anconita., 18 Martii 1623, tenoris sequentis: « Sacra, etc., censuit, Coadjutores dignitatum extra Ecclesiam nullum habere privilegium, sed praecedentiam inter eos servandam esse, ac si non essent Coadjutores; » et in Laudensi 7 Maii 1637, tenoris sequentis: « Sacra, etc., ad instantiam dignitatum, et Canonicorum Ecclesiae cathedralis Laudensis respondit, Coadjutori dignitatis extra Ecclesiam, et actus capitulares nullam deberi praerogativam, seu praerogativam supra antiquiores in ordine sacerdotali. » (23. Ex quibus, ut dicit Pignat. tom. IV, consult. 183, num. 12, apparet Sacram Congregationem recessisse ab antiqua sententia, quod Coadjutores extra Ecclesiam habeant praerogativam, uti veri Canonici, ut in Casalensi anno 1608, et Pistoriensi, 25 Martii 1608. relat. a Barbosa in Concil. Trident. sess. 25. *de Reformat.*, cap. 7, num. 40, et *Apostol. decis.*, verb. *Coadjutor*, num. 2, et *de Canonicis*, cap. 20, num. 50.

(24. Coadjutor debet habere locum captae possessionis post mortem coadjuti, et non locum possessionis captae vivente coadjuto. Sac. Cong. Rit. in Trullensi, 21. Martii 1709, (25. cum possessio numeranda sit ab obitu Coadjuti, quamvis prior possessio accederet ad annos 20. Ead. Sac. Cong. Rit. in Bergomensi, 8 Augusti 1627. Nec enim vere capit possessionem, nisi post cessationem Coadjutoriae. Rota p. 1. recent. decis. 476, num. 6. (26. Unde non sufficit prima capta possessio vivente coadjuto, ut declaravit Sac. Rit. Cong. in Conimbriensi, 16 Sept. 1606. in respons. ad primum dub. et in Patavina, 30 Januar. 1616. Sed debet capi nova possessio post mortem coadjuti. Ead. Sac. Cong. in Patavina, 30 Julii 1616. Rota p. 1, recent. dec. 436, n. 6, et dec. 637, num. 4. p. 3. dec. 643, num. 2, p. 4,

tom. I, dec. 410, num. 5, part. 16, dec. 112, n. 3. (27. At vero, si suscepit possessionem canonicatus vivente coadjuto, ex tunc pro tempore, quando venerit casus cessationis coadjutoriae, non indiget nova possessione post obitum coadjuti. Sac. Rit. Cong. in vercellensi, 12 Maii 1612. (28. Verum dicta possessio requiritur, quod sit capitulariter capta, ut possessio canonicatus vel beneficii acquiratur. Rota p. 10. recent. decis. 132, num. 2 et 5. (29. Coadjutor gaudet regula de annali, et triennali possessione, etiamsi non sit ei data nova possessio post obitum coadjuti, si per annum, triennium, vel decennium continuaverit in possessione post obitum coadjuti. Sacra Rit. Cong. in Conimbriensi, 16 Septemb. 1606, in responsione ad dubium tertium.

(30. Coadjutor tenetur residere, et divinis intervenire. Sac. Cong. Concil. die 7 April. 1618. (31. Coadjutor tenetur residere etiam in casu quo coadjutus propter infirmitatem, vel legitime impeditus, non tenetur alioquin residere; alias amittuntur distributiones quotidianae, quae punctentur coadjuto, in damnum tamen ipsius Coadjutoris, ita ut Coadjutor teneatur satisfacere de bonis suis pro interestia non soluta. Sac. Congregat. Rit. in Elboreni, 15 April. 1606, in Patavina, 8 Maii 1617, et in Genetensi, 4. April. 1620. (32. Potest tamen gaudere mensibus datis causa recreationis, et illos consumere sicut principalis, ita tamen quod dies per unum ipsorum consumpti, non possint per alterum assumi, sed quoad ambos remaneant consumpti. Gonzal. ad regul. 8 *Cancel.* gloss. 5, § 9, num. 13 et seq. Garcias *de Benefic.* part. 2, cap. 3, n. 79. Rota in Salamantina Coadjutoriae coram Penia, impressa per Marchesan. de Commis. part. 1 § 2, pag. 469 in fine his verbis: « Praeterea cum Concilii Tridentini, et Ecclesiae Salamantinae constitutiones quolibet anno indulgeant Canonicis tres menses recreationis, quibus ab onere residenti liberantur, et Coadjutor praetenderit se isto beneficio posse frui, contra capitulum sentiret, ideo fuit dubitatum: An Joannes Coadjutor posset dies gratiae petere, et consumere? Et Domini responderunt affirmative, quia respectu temporis concessi a Concilio, et Ecclesiae Salamantinae constitutionibus, censuerunt habere locum argumentum desumptum a subrogatione, seu aequiparatione, non obstante inconveniente per capitulum commemorato, quod si Coadjutor haberet tres menses posset etiam Antonius coadjutus alios tres menses sibi assumere, et sic cultus divinus, et servitium Ecclesiae eluderetur, quia hoc cessabat ex eo quod quando unus ipsorum usus est beneficio dicti temporis, tunc alter non poterat eodem beneficio perfrui, nec sibi aliud trimestre applicare, » etc. (33. Coadjutor tenetur celebrare Missas, quas vigore testamenti, et institutionis capellaniae ipse coadjutus celebraret tenetur, quando coadjutus est legitime impeditus. Sac. Congr. in Patavina, 3 Decemb. 1616. (34. Unde tenetur Coadjutor habere qualitates requisitas ab obtinendam praebendam. Adeo-

que debet esse constitutus in illa aetate quae ab obtinendum illud beneficium requiritur. Garcias, *de Benefic.* part. 7, cap. 4 in fine; Gonzal. ad regul. 8, *Cancel.* gloss. 5, § 9, num. 6 et 90; Squilant. *de Privileg. clericor.*, c. 4, num. 97; Machado lib. IV, p. 4, tract. 7, docum. 2; Barbosa in Conc. Trid., sess. 25, *de Reform.*, cap. 7. n. 38, et *de Canon.*, cap. 29, num. 48. (35. Et per hoc debet promoveri infra annum ex quo residet et inservit ad ordinem suae praebendae adnexum. Garcias d. c. 6. in addit. sub num. 130, dub. 23, vers. modo; Barbosa *loc. cit.*, in *Trid.*, num. 39. et *de Canon.*, num. 49. (36. Non tenetur tamen se promoveri facere intra annum ad ordinem requisitum, si nunquam resedit, seu inservit, quia coadjutus non vult ex quo non habet exercitium coadjutoriae, sicuti habens curam habitu, et non actu, non tenetur ad sacerdotium promoveri infra annum. Garcias in d. addit. sub num. 23, vers. modo, *loc. cit.* in *Trident.*, num. 29. et *de Canon.*, num. 38. (37. Quamvis autem Coadjutor non sit in saceris constitutus, potest omnia, et singula facere, et exercere, quae sine paramentis sacris cum cappa et cotta facere posset coadjutus, si praesens esset. Sac. Rit. Congreg. in Bononiensi, 19 Decemb. 1615.

(38. Coadjutor lucratur distributiones quotidianas absente coadjuto, ad ipsius coadjuti utilitatem. Sac. Cong. Rit. in Elboreni, 15 April. 1606, et in Conimbriensi, 16 Septemb. ejusdem anni 1606 in responsione ad sextum dub. (39. Coadjutore infirmo, vel impedito, coadjutus lucratur distributiones quotidianas, etiamsi horis canonicis non intersit; si ex forma, seu litteris coadjutoriae, ipse coadjutus nunquam teneatur horis canonicis interesse. Sac. Cong. Conc. in Barbastren., ubi ad propositum dubium: « An coadjutus, impedito seu infirmo Coadjutore, teneatur inservere, si habilis sit, ad effectum lucrandi distributiones? » die 7 Novembris 1630, censuit: « Si ex forma litterarum apostolicarum coadjuti, nunquam teneantur horis canonicis interesse Coadjutores, quandiu aliqua ex tribus causis expressis in cap. Unico *De clericis non residentibus* in 6, vere fuerint impediti, distributiones quotidianas lucrari perinde ac si divinis interessent. » Et in hoc sensu accipienda est alia ejusdem Sacrae Congreg. Conc. Decisio in Urbevetana, 9 Novembris 1628, quae sic habet: « Distributiones quotidianae debentur Canonico coadjuto, infirmo, absente, vel non serviente Coadjutore. »

(40. Tres autem illae causae legitimae expresse in cit. cap. Unico, *De clericis non residentibus* in 6, sunt istae, scilicet, infirmitas, justa et rationabilis necessitas, et evidens Ecclesiae utilitas; ibi: « Exceptis illis, quos infirmitas, seu justa et rationabilis necessitas corporalis, aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret. » (41. Si vero ex forma, seu litteris coadjutoriae appareat coadjutum non eximi totaliter a residentia, quando habilis sit, et quando Coadjutor est absens, tunc coadjutus tenetur inservere per se, ut

lucreretur distributiones. S. Cong. Rit. in Elboreni., 15 Aprilis 1603. (42. Et si coadjuto ipso infirmo, vel impedito, Coadjutor non resideat, non debentur ei distributiones quotidianae, et punctatur in ipsius Coadjutoris damnum. Sac. Cong. Rit. in Patavina, 8 Maii 1617, his verbis: « Distributiones quotidianae non debentur Canonico infirmo, vel alias legitime impedito, quando habet Coadjutorem, sed si Coadjutor non resideat punctatur in ipsius Coadjutoris damnum. » (43. Coadjutor non potest lucrari distributiones quotidianas, quando coadjutus est praesens. Sac. Rit. Cong. in Elboreni., 15 April. 1606 in resp. ad tertium dub. (44. Coadjutor non lucratur distributiones quae dantur Canonicis et Praebendis propriae Ecclesiae, quando aliquas Missas celebrat, nisi quando celebrat pro ipso Coadjuto. Sac. Cong. Rit. in Patavina, 3 Decembris 1616. (45. Coadjutor datus Canonico non ordinato ad formam statuti requirentis certum ordinem in canonicis sub poena amissionis ejusdem partis fructuum, non lucratur hujusmodi fructus pro coadjuto, quamvis ipse Coadjutor esset ordinatus ad formam dicti statuti. Sac. Cong. Rit. in Barbastren., 1 Decembr. 1629. (46. Coadjutor inservens non potest lucrari fructus Praebendae pro praebendato coadjuto pro eo tempore quo dictus coadjutus culpabilis reperitus mansit carceratus Sac. Cong. Conc. 15 Decemb. 1618.

(47. Coadjutor potest inservere, et residere in Ecclesia, excommunicato existente coadjuto, quia non inservit, nec agit nomine excommunicati, sed nomine proprio, aut nomine Ecclesiae. Garcias *de Benefic.*, part. II, cap. 5, a num. 83; Barbosa *Juris Eccles. Univers.* lib. III, cap. 10, num. 87, et in *Concil.*, sess. 25, *de Reform.*, cap. 7, n. 37; *de Canonicis*, cap. 29, num. 40. (48. Imo si forte Coadjutori aliquid de fructibus, seu distributionibus assignatum sit pro congrua, seu servitio, ut aliquando fit, id sibi poterit lucrari, non obstante excommunicatione coadjuti, quae sibi, non alteri, debet nocere, et per hoc tunc Coadjutor non potest lucrari pro coadjuto excommunicato, et ad ejus commodum et utilitatem; cap. *Pastoralis* 13, *de Appellat.*, § *Verum*; Barbosa *loc. cit.*, et Garcias *loc. cit.* num. 83 et 86. Rota apud Marchesan. *de Commission.*, part. 1, p. 467. (49. Nec officit, quod in litteris apostolicis coadjutoriae dicatur, quod Coadjutor inservere debeat pro coadjuto, et pro ipso coadjuto lucrari. Quia, ut recte advertit citata Rota: « Jure insequitur, ut hoc privilegium intelligatur competere coadjuto, dummodo sit habilis et capax. Excommunicatum autem non lucrari fructus et emolumenta beneficiorum clari juris est; » cap. *Pastoralis*, § *Verum*, *de Appellat.* Rota, decis. 8, n. 10, *de Sentent. excommunic. in antiq. Put.*, decis. 280, num. 1. « Et qui non potest propter excommunicationem per se aliquid agere, nec poterit per alium ad suam utilitatem, » ut notant omnes in cap. fin. *Ubi*; Imol. num. 19, *de Procur.* Ita Rota apud Marchesan. *loc. cit.* (50. Coadjutor potest uti privilegiis